

d. 22. p. 2. q. 1. & Scotus in 4. d. 21. q. 2. §. Ad argum.

3226. Cæterum novissimè adest Decretum S. Inquis. Univ. Rom. de anno 1682. prohibens: Ne quis publicè, aut privatim doceat, aut defendat, licere nisi scientia ex confessione acquisita cum gravamine pœnitentis, quamvis secluderetur quæcumque ejus revelatio, & quamvis nullo majus gravamen ejusdem pœnitentis ex non usu sequeretur, mandans etiam universis Sacramenti Pœnitentis Ministris, ut à tali doctrina, in præxim deducenda profusè abstineant, apud Arldekin tom. 2. pag. 238. & Fenech. de Sigillo.

3227. Pro externa igitur subditorum gubernatione superior peccato ex confessione cognito, ita se gerere debet, ut si nunquam illud audivisset, ac proinde habeat in mente dictum Scoti: Non attendet esse Deum.

3228. Nec potest superior ex noticia peccati in confessione habita, inquirere media ad illud sciendum extra confessionem, ad finem sic pueniendi subditum, aut alium actum circa personam pœnitentis exerceendum; quia ex hoc maximè odiosum redderetur Sacramentum Pœnitentiæ, nedum ipsi pœnitenti, verum etiam cæteris fidelibus, si scirent, Confessarium ex noticia confessionis habere jus expiscandi eandem notitiam extra confessionem, & inde actiones contra earum personas patrandi.

3229. Confessarius, non obstante confessione, potest uti noticia peccati, quam aliunde habet, dummodo eam nullo modo per notitiam confessionis adjuvet, & abist scandalum; quia non utitur noticia sacramentali.

3230. Confessarius, si ex complicitis confessione sciat pœnitentis peccatum, quod ipse non confitetur, non potest ipsum de eo speciatim interrogare, sed solum in genere, an habeat aliud peccatum, quod confiteatur, quod si neget, eum tenetur absolvere, si aliàs impedimentum non inveniatur.

3231. Si illud sciat extra confessionem ex auditu fidedigni, tenetur eum interrogare in specie, quod si neget, debet pariter eum absolvere, quia putare potest illud, cum alio Confessario esse confessum, vel relatoem deceptum esse; quia in pœnitentiæ foro credendum est pœnitenti, sicuti contra se, ita & pro se. Si tamen illud certò confitetur Confessario, quatenus v. gr. furantem, blasphemantem, &c. vidit, & certò sciat, non esse cum alio confessum, tunc si neget, eum absolvere non debet, utpote indispositum. Arldekin tom. 2. pag. 237.

3232. Nullo pacto licet Confessario loqui cum pœnitente de peccatis in Confessione auditis; quia ruborem affert, & reddit odiosam confessionem: licet autem de ipsius pœnitentis licentia; quam concedere censetur, si ipse prior de illis loqui incipiat.

3233. Si Confessarius in confessione gravem errorem committit, qui pendeat in futurum, v. gr. quia bona fide consuluit contractum, quem postea usurarium reperit, tenetur petere à pœnitente licen-

tiam loquendi de materia confessionis præterita ad salutem animæ illius pertinente. Si pœnitens neget; probabilius est, quod possit de peccato, & re loqui, ac errorem corrigere, 1. Quia tunc proprie non loquitur extra confessionem, sed perscit eam, que inchoata, & imperfecta erat. 2. Quia in casu mali consilii, nihil loquitur de confessione præterita, sed solum consilium malè datum revocat. Arldekin tom. 2. pag. 236. num. 13. & Fenech. Quod si pœnitens audire non velit, debet Confessarius eum monere, quod sit in malo statu, denegando licentiam, & reculando audire.

3234. Si pœnitens ob aliquem bonum finem, v. gr. ad consilium à doctiori petendum, ad malum aliquod avertendum, &c. licentiam det Confessario, de proprio peccato, aut alia re confessionis cum alio loquendi, potest Confessarius sine fractione sigilli cum eo loqui, sed non cum altero, ad quem licentia non fuit concessa; quia id, quod pœnitens potest facere per se, potest per alium facere; nec confessio odiosa redditur; licentia autem debet esse expressa, & nullo modo sufficit præsumpta; quia talis præsumptio est odiosa, aut periculosa; imò tunc peccatum manifestare debet, de quo consilium petit, non peccatorem.

3235. Dixi: ob aliquem bonum finem; quia ut ritè advertit Scot. in 4. dist. 21. q. 2. lit. L. Jus sigilli sacramentalis non est tantum ipsius confitentis, sed etiam totius communitatis fidelium, quæ alias maximè perturbaretur, & ipsius Sacramenti, cui ipse pœnitens renunciare non potest; ac proinde non potest pœnitens ex lubricitate, & levitate licentiam Confessario dare de re ad confessionem pertinente loquendi, nec Confessarius ea uti debet, sine magna Sacramenti irreverentia.

3236. Ille verò, cui Confessarius peccatum de pœnitentis licentia manifestavit ob consilium, aut aliam causam ad absolutionem sacramentalem spectantem, ad sigillum sacramentale tenetur, quia est notitia, ex Confessione orta, & ad confessionem ordinata. Arldekin cit. pag. 237. num. 15.

3237. Ad sigillum sacramentale tenetur ultra Confessarium, interpres ille, quem Confessarius super re confessionis consuluit, laicus, qui Sacerdotem se fingens, confessionem excipit, aut qui casualiter peccatum confitentis audivit, item ille, qui Confessarius sacrilegè revelavit peccatum: Ita Scotus in 4. dist. 21. q. 2. lit. N. L. qui advertit, præfatos, præter Confessarium, teneri sigillo sacramentali, ita ut sacrilegium contra Sacramenti reverentiam committant, si de eo peccato loquantur, quatenus ad eos notitia ex Sacramento pervenit; non tamen cum eodem rigore, quia non subjacent penis Canonicis, quibus ipsi Confessarii subduntur; quæ in cap. Omnis utriusque sexus, de Pœnit. & remis. sunt depositio, & perpetua pœnitentia in arcto Monasterio luenda.

3238. Pœnitens non tenetur ad sigillum sacramentale; tenetur verò ad secretum naturale, quoad

ca,

ea ex quorum manifestatione sequeretur gravis infamia sui, aut Confessarii. Omnino vide casum num. 2930.

## CAPUT V.

## DE MINISTRO SACRAM. PœNITENT.

3239. **M**inister hujus Sacramenti est solus Sacerdos. In eo, ut validè absolvat, requiritur intentio, potestas ordinis, & jurisdictionis. Potestas ordinis dicitur potestas remota, potestas verò jurisdictionis potestas proxima, quatenus Sacerdos vi ordinationis accipit à Christo potestatem ad absolvendum, sed non accipit subditos. Unde jurisdictione Confessarii est, Jus in subditos ad exercendam potestatem absolvendi, quam ex vi ordinis Sacerdos habet. Hinc absolutio à Sacerdote data sine jurisdictione, est nulla, ex Trid. sess. 14. cap. 7. Quia Sacramentum Pœnitentiæ, est actus iudicii, qui, si exercetur in non subditum, est nullus. Vide num. 3285.

3240. Hinc fit, quod simplex Sacerdos non approbatus non possit validè absolvere à venialibus, aut mortalibus aliàs confessis. Ita Maltrius disp. 21. quæst. 8. num. 202. Faber, Brancatius, & Scottista; quia licet materia sit libera, absolutio est sententia, & actus iudicii, qui in non subditum est nullus. Unde oppositæ opinionis usus fuit prohibitus ab Innoc. XI. ut in num. 2935.

3241. Jurisdictione est triplex, ordinaria, delegata, & ex concessione juris.

Ordinaria, habetur ratione officii; eam habet Summus Pontifex in omnes Christi fideles; Episcopus, & ejus Vicarius in omnes ad suam Diocesim pertinentes; Parochus in fuis Parochianos: Et Prælati Regulares in suos subditos: tales sunt Generales, Provinciales, Priores, & Guardiani, qui quidem alia approbatione non indigent, ut suorum subditorum confessiones excipiant; quia tam ex jure communi, quàm ex statutis nostri Ordinis sunt proprii Sacerdotes.

Parochus relicta Parochia indiget approbatione. Sieri de Pœnit. n. 757. cum Com. quia tunc cessat Officium Parochiale, ratione cujus competit potestas ordinaria.

3242. Delegata, quæ non ex vi officii, sed ex concessione Ordinarii Sacerdoti communicatur.

3243. Parochus, aut obtinens beneficium; cui est annexa cura animarum, non indiget alia approbatione; bene verò si officium, vel beneficium relinquit. Arldekin tom. 2. pag. 207. num. 2.

3244. Ex concessione juris, competit habentibus jus, vel privilegium eligendi pro se confessarium non approbatum. Tales sunt Cardinales, & Episcopi.

Item Prælati Religionum, videlicet Generales, Provinciales, Commillarii, Visitatores, Superiores locales, Commiffarii, & Procuratores Curie Romanæ, & Vicarii Conventuum in Capite, qui guber-

nant in Capite, hoc est, qui gubernant in absentia, aut morte Superioris localis. Melphi in Comm. cap. 7. stat. 1. q. 1. & 7. Præfati Confessarium eligere possunt non solum in Conventu, sed etiam extra, sicut etiam extra possunt suorum subditorum confessiones audire; quia privilegium est personale, non locale. De Episcopis alio modo dicitur Diana p. 3. tract. 2. ref. 3. contra Villalobos in Summ. tom. 1. tract. 9. diff. 15. num. 4.

Parochi, aut qui Beneficium Curatum habent, non possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario; quia non sunt Prælati. Vide in pag. 2. prop. 16. ab Alex. VII. damn. & num. 3275.

3245. In articulo mortis quilibet simplex Sacerdos, non approbatus, imò excommunicatus vitandus, hæreticus, &c. si non sit alius promptus, potest quoslibet fideles, à quibusvis casibus, & censuris, etiam reservatis absolvere, ex Trid. sess. 14. cap. 7. quia in articulo mortis nulla est reservatio, & Trident. nullum excipit Sacerdotem, sed ample loquitur: Verumtamen præ admittendum, ne hic ipsa occasione aliquis peccat, in eadem Ecclesia Dei custoditam semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt.

Hinc pro tali casu, & Ecclesia dat jurisdictionem, & tollit omne impedimentum Canonicum ex parte Sacerdotis. Vide tom. 3. num. 171.

3246. Quamplures Doctores, Diana, Logo, Pontius, Faber, & alii, apud Maltrium disp. 21. q. 8. num. 203. ritè sub articulo mortis, etiam comprehendunt periculum probabile mortis, cum hoc solo discrimine, ut in periculo mortis Sacerdos absolvere possit directè à quibusvis peccatis, etiam reservatis; à censuris verò reservatis, non nisi sub conditione, ut periculo elapso, coram Superiore se præsentet, nedum pro satisfactione, & ut stet ejus mandatis, sed etiam pro absolutione. Vide num. 3355. & 3359.

3247. Articulus mortis, propriè est tempus illud, quo mors certò instat de proximo, & est inevitabilis.

3248. Periculum probabile mortis, est illud, in quo non instat certò, sed ex sæpe contingentibus probabiliter timetur mors; tale est in eis, qui periculum, aut periculosam, & longam navigationem proximè sunt aggressuri. Vide num. 3357.

## JURISDICTIONE DELEGATA

3249. **N**ON censetur, nisi aliquo signo externo; quia Sacramentum est signum sensibile externum. Sufficit tamen quoddamque, quod revera, & iudicio prudenti, in talibus circumstantiis indicet intentionem conferentis jurisdictionem.

3250. Unde non est necesse, quod fiat per litteras; adeoque; qui fuit ab Ordinario ore tenus de-

signatus Confessarius, validè absolvit, antequam expediant litteræ, nisi Ordinarius expresserit, se nolle jurisdictionem conferre, nisi expeditis litteris. Diana *part. 1. tract. 14. ref. 41.* Sieri *de Pœnit. num. 699.* Leander *de Pœnit. disp. 11. q. 80.*

3251. Item Ordinarius, si videns Sacerdotem non designatum audientem confessiones in circumstantiis, in quibus posset commodè impedire, & non impediat, censetur jurisdictionem illi conferre; in ordine tamen ad confessionem illam, minimè ad alias in futurum. Sieri *cit. num. 693.* ex Gobat *tr. 7. num. 8.* & Leandro *cit. quest. 94.* Nam (ut doctè ponderat) (sumus in materia, in qua judicium prudentiam facit intrinsecam rationem.)

3252. Et convincit à pari; nam (sicuti in sententia omnium, ut testatur Navar. in *Summ. cap. 22. num. 58.* est sufficiens signum externum voluntatem celebrantium sponsalia, si contrahentibus parentibus, filii sileant, cum facili, si vellent, reclamare possent; cur non erit sufficiens signum externum consentientis Episcopi, qui cum possit impedire, silet?) Idem tenet in iisdem circumstantiis, si Episcopus non videat, sed certò sciat, cum eadem sit ratio.

3253. Hic tamen Confessarius à principio confessionis mortaliter peccavit, quia incœpit confessionem excipere sine jurisdictione. Adeoque penitens, detecto errore, tenetur peccata illa priora repetere; & sufficit, de illis se accusare in genere, si hoc faciat in eadem confessione, & cum eodem Confessario, dicendo: *Me accuso de omnibus peccatis, qua jam manifestavi.*

3254. Non sufficit ad conferendam jurisdictionem ratihabitio de futuro; videlicet, quod Sacerdos prudenter credat, Ordinarium ratihabituram confessionem; quia ex *Trid. sess. 14. cap. 6.* ad valorem hujus Sacramenti requiritur jurisdictione actualis, quam non dat ratihabitio de futuro; quia hæc non est, sed erit.

3255. Sufficit autem ratihabitio de præsentibus. Leander *cit. quest. 94.* Sieri *cit. num. 694.* cum Com. Quæ non sufficit, si fit purè tacita, seu præsumpta, quatenus si Ordinarius sciret, actu concederet; quia voluntas non fertur in incognitum; sed requiritur ex *num. 3249.* quod sit aliqua circumstantia, seu signum phyce, aut moraliter externa: talis est in casibus *num. 3251.* & *3252.* expressis. Item, si Ordinarius signa complacentiæ, & gaudii super talibus confessionibus expresserit, & hæc dicitur licentia tacita externa. Sieri *cit. num. 695.*

Hinc rectè subdit Sieri *cit. num. 694.* cum Tancr. Quod si Sacerdos petat ab Episcopo licentiam audiendi confessiones, & nulla subit ratio denegandi hanc facultatem, atque Episcopus taceat, habetur tunc licentia pro concessa; & rectè quidem discurrunt, si casus talis sit, ut vere non sit ratio denegandi licentiam, & Episcopus, si velit, possit faciliè denegare; nec illud silentium reduci potest ad prudentem denegationem licentiæ; positus enim his con-

ditionibus, silentium est signum externum concessionis; quia hic valet: qui tacet consentire videtur.

## ERROR COMMUNIS

3256. CUM titulo colorato, seu putativo à legitimo Superiore collato, dat jurisdictionem. Hæc sententia est moraliter certa, quia docent communiter Jurisperiti, & Theologi, Diana *part. 8. tract. 1. ref. 94.* Cardenas *differt. 2. cap. 6. art. 5.* Sieri à *num. 700.* Leander *de Pœnit. disp. 11. q. 101.* & innumeri ad ipsos. Ex *Jure Civili, l. Barbarius, ff. de Officio Pretoris.* Et ex *Jure Canonico, cap. Infamis 3. q. 7.* his verbis: *Si servus, dum putaretur liber, ex delegatione sententiam daret, quamvis postea in servitutem deprehensus sit, sententia ab eo dicta rei judicata firmitatem tenet.* (Ubi (subdit Cardenas) decernitur, quod quamvis servus sit incapax jurisdictionis, si tamen communiter ignoretur esse servus, & ex delegatione exercuerit jurisdictionem, gesta per ipsum valent, non quia habuerit verum titulum ad exercitium jurisdictionis, sed quia Princeps propter utilitatem publicam illa valida facit.)

3257. Error igitur communis cum titulo colorato dat jurisdictionem ob bonum commune, ad favorem fidelium, ad vitanda gravia incommoda, quæ aliàs sequerentur, eò maxime, quia aliàs innumeræ animæ perirent.

3258. Hinc validè absolvit Sacerdos, si adsit titulus coloratus, & error communis; peccat tamen, si sciat nullitatem sui tituli.

3259. Error communis cum titulo colorato tunc habetur, quando Sacerdoti fuit à legitimo Superiore collatus titulus requisitus ad actum, v. gr. titulus Parochi, Confessarii, &c. sed vel nulliter, in quantum erat incapax ob aliquem occultum defectum, & impedimentum, puta, quia simoniacus, &c. vel in quantum titulum amisit; talis autem incapacitas, aut amissio communiter ignoratur, sed communiter putant fideles, cum verum habere titulum.

3260. Error communis sine titulo tunc habetur, quando Sacerdoti non fuit à Superiore legitimo collatus titulus requisitus ad actum, sed ipse illum fingit, aut ignoranter credit, & dicit habere; talis autem fictio, & carentia tituli communiter ignoratur. Id contingit in Sacerdote, qui cum falsa licentia confessiones audit, aut cum falsis Bullis pro Parrocho se gerit, sed communi Populi errore legitimus habetur.

3261. Errorem communem sine titulo non conferre jurisdictionem, sed requiri titulum putativum à legitimo Superiore collatum, tenent Nungus *quest. 8. art. 5. dub. 1. diff. 1. pag. 436.* Lugo *de Juri. tom. 2. dif. 37. num. 23.* & quamplures apud Leandrum *de Pœnit. disp. 11. quest. 102.* Verricelli *tract. 2. quest. 25. num. 3.* & Cardenas *differt. 2. cap. 6. art. 5. num. 151.*

3262. Est tamen verè, & certò probabilis sententia docens, quod error communis sine titulo jurisdictionem conferat. Diana *part. 4. tract. 4. ref. 122.*

Basilius Pontius *de Matr. lib. 5. cap. 20.* Verricelli *cit. num. 15.* Sieri *de Pœnit. num. 701.* Leander, & Cardenas citati, ac quamplures alii apud ipsos. Ratio est; quia etiam in hoc casu sequerentur eadem incommoda, quæ sequerentur, quando adest error communis cum titulo colorato.

3263. Ex præmissis doctrinis Sieri *cit. à num. 702.* has colligit sequelas.

Sequitur primò: Quod quamvis ego putem, & cum gravissimis Theologis probaverim in *tract. de Fide*, Deum nunquam permitturum, ut Romanus Pontifex incidat in hæresim occultam, juxta illud Christi Domini: *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua: vel si fortalis incidat Pontifex in hæresim occultam, Deum detesturum esse Ecclesiæ; nihilominus, si Pontifex incidere in occultam hæresim, desineret esse Pontifex, ut docet communis contra aliquos, sed jurisdictione ab ipso collata, quia adest error communis, titulusque coloratus, validè esset collata, supplente Ecclesia defectum.* Tancredi *tom. 4. tract. 1. quest. 39.*

3264. Secundò: Quod si mortuo Episcopo, vel revocato Vicario Generali, communiter ignoretur, mors Episcopi, vel revocatio Vicarii, valent acta ipsius ex jurisdictione, quam tradit Ecclesia, ratione erroris communis, & tituli colorati. Lessius *lib. 2. cap. 29. dub. 8.* & communis.

3265. Tertiò: Quod si Parochus, vel à jure, vel ab homine privatus est titulo Parochiali, validè absolvit, si defectus communiter ignoretur, quia stante errore communi, & titulo colorato, supplet Ecclesia. Sic communiter Doctores.

3266. Quartò: Quod cum innumeræ animæ perirent, si Ecclesia, stante errore communi, non suppleret jurisdictionem casu, quo abesset titulus coloratus, idè dicendum est, quod, posito solo errore communi, Ecclesia suppleat. Hæc illatio est communissima, maxime inter Recentiores: sexdecim pro ea citat Diana *part. 2. tract. 16. ref. 45.* & *p. 8. tr. 1. ref. 94.* & *pag. 11. tract. 2. ref. 69.*

3267. Quintò: Quod si Confessarius est excommunicatus denunciatus, sed id communiter ignoretur, habet ab Ecclesia tunc jurisdictionem ratione erroris communis.

3268. Hinc, si excommunicatus denunciatus audiat confessiones, ubi non est denunciatus, vel tunc temporis sit elapsum, ut communiter ignoretur ejus excommunicatio, validè absolvit, supplente Ecclesia ob communem errorem. Dominicus Soto *in 4. disp. 1. q. 5. art. 6.* Navar. *in Sum. cap. 9. Cajet. in Sum. verb. Absolutiois impedimenta.* Petrus Soto *de Confess. sect. 6.* & alii communiter.

3269. Sextò: Valere absolutionem datam ab approbato ad annum, etiam anno elapso, si tamen id communiter ignoretur. Sic communis: quamvis ipse Confessarius graviter peccat absolvendo.

3270. Septimò: Valere absolutionem virtute

Bullæ, etiam Bulla revocata, si revocatio communiter ignoretur; supplet enim Ecclesia ob errorem communem. Henricus *lib. 6. cap. 6. num. 12.*

3271. Octavò: Quod si Episcopus fictè dederit licentiam audiendi confessiones, valent absolutiones, si fictio illa communiter ignoretur. Sanchez *de Matr. lib. 3. disp. 22.* contra Petrum de Ledesma *de Matr. quest. 45. art. 5. punct. 3. dub. 3.*

3272. Nonò: Quod cum stante errore communi, suppleat Ecclesia conferendo jurisdictionem, si post communem errorem incipiat in populo dubitatio de jurisdictione Sacerdotis, debet indagari veritas; at, adhibita debita, diligentia, si adhuc dubium remaneat, validæ sunt absolutiones, quia prævalet possessio acquisita ex præcedenti errore communi, Tamb. *tom. 2. lib. 5. de Pœnit. cap. 4. s. 7.* à *num. 10.*

3273. Denique certum est, quod error particularis, etiam cum titulo colorato jurisdictionem non conferat.

## CONSUETUDO COMMUNIS DAT jurisdictionem.

3274. Sicuti autem non est, quod propriè ipsa consuetudo det jurisdictionem, sed quod sit evidens signum collatæ jurisdictionis ab Ecclesia, seu superiore, in quantum Superior videns, & potens impedire, ne jurisdictione illa exerceatur, eo ipso, quod non impedit, consentire videtur, & jurisdictionem conferre. Verricelli *tr. 2. q. 25. num. 8.* Cardenas *differt. 2. cap. 6. art. 6.* Sieri *de Pœnit. à num. 713.* & Doctores communiter apud ipsos docentes, hoc esse certum. Vide dicta de consuetudine à *num. 237. ad 256.*

3275. Ex vi consuetudinis, Sieri *cit. à num. 714.* plura insert, & maxime quatuor.

Primò: Imperatores, Reges, eorumque uxores posse eligere in Confessarium quemcumque Sacerdotem. Angles, Vazquez, Hurtado, Suarez, & alii.

3276. Secundò: Magnos Principes posse eligere in Confessarium quemcumque approbatum. Tancr. *tom. 4. disp. 6. q. 9. num. 54.* ex Soto.

3277. Tertiò: Sacellanum Imperatoris habere jurisdictionem ad absolvendum Imperatricem. Mendo *in Epit. verb. Confessarius, num. 35.*

3278. Quartò: Cardinales posse sibi eligere Confessarium non approbatum ab Episcopo. De Lugo, Diana, Pasqualigus, Imò, & posse eligere pro tota sua familia in Confessarium Sacerdotem non approbatum. Pasqualigus, & Thomas Hurtado, ad dentibus de Lugo, Bufemb. Leandro, Mercero, Naldo, & aliis, posse Cardinales dare licentiam alicui ex suis familiaribus, ut eligat in Confessarium aliquem determinatum Sacerdotem, etiam non approbatum ab Episcopo; qui poterit familiarem Cardinalis absolvere extra domum Cardinalis. Hæc omnia fieri posse, innuit consuetudo, quæ ostendit, Cardinales esse Ordinarios propriæ familiæ. Attamen con-

consuetudo non approbat, quod Cardinales, ratione dignitatis, possint excipere ubique confessiones, ut testatur Thomam opinio contra Thomam Hurtado.

## DIFFICULTAS EST:

3279. **A**N Ecclesia suppleat, seu det jurisdictionem Confessario absolventi ex opinione verè, & practice probabili circa jurisdictionem?

Quid in hac re sit dicendum, & ego sentiam, satis liquet ex dictis in num. 82. ad 100. Pro majori autem ubertate, ac lumine, non erit abs re, quid specialius Doctores dicant referre.

Certum moraliter esse, quod Ecclesia suppleat, & det jurisdictionem Confessario absolventi ex opinione verè, practice probabili circa jurisdictionem, etiam si talis opinio coram Deo sit falsa, docet Vericelli tract. 2. quest. 25. dist. 2. cap. 6. art. 6. Filliuc. Caltrop. Diana, & quamplures alii apud ipsos; cuius sententiæ certitudinem moralem fundant in consuetudine, hoc syllogismo: certum est, quod consuetudo det jurisdictionem; certum est adesse consuetudinem absolventi ex opinione verè, & practice probabili circa jurisdictionem; ergo certum est, quod ex tali consuetudine Confessarii habeant jurisdictionem absolventi ex opinione, verè, & practice probabili.

3280. Pro majori sic dicitur Cardenas cit. num. 161. (Nam certum est in iure, quod consuetudo dat jurisdictionem. Ex cap. Cum contingat, de Foro comper. ubi fit statuit: Nisi forte hi, quibus delinquentes ipsi deserunt, et indulgentia, vel consuetudine speciali jurisdictionem huiusmodi valeant sibi vindicare. Et Gloss. ibi adiuncta, verb. Vel consuetudine, ait: Nota, quod consuetudo dat jurisdictionem, & ex cap. Romana, de Senr. Excommun. in 6. prohibens jurisdictionem quibusdam absolventi à censuris, subiungit Pontifex: salva contraria super hoc consuetudine, si quam habent. Ubi Glossa repetit eadem verba supra relata, quod consuetudo dat jurisdictionem. Idem constat, ex cap. Romana, de Foro comper. in 6. & Gloss. ibid. verb. Consuetudine, & cap. Ut litigantes, de Officio Ordinarii, & cap. Dudum, §. Scilicet, de Electione, & cap. Cum quidam, de Except. in 6. illis verbis: De re per Ecclesiasticum iudicem iudicata, in casu, quod ad eum pertinet cognitio, de consuetudine, vel de iure, &c. Ubi Glossa repetit eadem verba, quæ supra. Et cap. Duo simul, de Officio Ordinarii, dicitur: Cum sit in Canonibus definitum, Primates, vel Patriarchas nihil juris præ cæteris habere, nisi quantum Sacri Canonis concedant, vel prisca illis consuetudo consulit ab antiquo. Constat etiam ex Concil. Trid. sess. 22. in Decr. de Reform. cap. 3. illis verbis: Si alicui ex prædictis dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis de iure, seu consuetudine jurisdictionem, administratio, vel officium non competat, &c. Ex quibus verbis patet, jurisdictionem competere ex consuetudine.)

3281. Pro minori, sic ait: Quod autem datur talis consuetudo, negari non potest; quia eam

affirmant communiter Doctores, quorum communis opinio in questione facti facit certitudinem moralem, ut probavi in 1. part. Chrif. Theol. disp. 12. cap. 5. num. 73. (ultra experientiam, qua omnes videmus, ita praticari apud Sapientes) P. Suarez tom. 4. in 3. part. disp. 27. sect. 4. num. 7. ait: Confirmatur ex universali Ecclesie consuetudine, que est sufficiens signum jurisdictionis; ut supra dictum est. Est autem universalis Ecclesie usus, ut Sacerdotes secure utantur huiusmodi jurisdictione (probabili) in administratione huius Sacramenti. Et quavis P. Suarez, num. 8. dixerit, hunc discurrendi modum esse probabilem; non tamen dixit, esse solum probabilem consuetudinem Ecclesie, sed illam tradit, ut indubitabilem.

Lugo Cardin. disp. 19. de Pœnit. sect. 2. num. 31. agens de hac consuetudine absolventi cum jurisdictione probabili, ita asserit: Et hæc est PRAXIS omnium solum, & totius Ecclesie. Et idem repetit num. 33. & 34.

3282. Denique pro consequentia subdit: Audiendus est Bonacina tom. 2. disp. 5. de Sacram. Pœnit. quest. 7. punct. 5. §. 4. num. 5. ubi fit ait: Ex quo inferitur, cum qui sequitur opinionem probabilem Doctorum sententium, ipsum habere jurisdictionem absolventi à reservatis, seu privilegium absolventi non esse revocatum, valide agere, quæ agit, ac si ipsa jurisdictionem haberet, & privilegium nondum esset revocatum, etiam si forte opinio illa probabilis à parte rei non subsistat, sed falsis realiter nitatur fundamentis; nam Ecclesia supplet jurisdictionem; alioquin sequeretur eadem incommoda, quæ sequerentur, Ecclesia non supplet jurisdictionem, quando adest error communis, & titulus coloratus. Et hoc eodem modo communiter loquuntur Theologi ferè omnes. Quo pacto non loquerentur Authores, si non esset ita in praxi receptum. Quid autem est praxis communis, nisi consuetudo?

3283. Eandem sententiam tenet Leander cum aliis in tract. de Pœnit. disp. 11. q. 103. hæc motus ratione, quod non minus potens sit sapientium opinio, quam error populi communis ad dandam jurisdictionem.

3284. Certum tamen omnino est, quod Ecclesia non suppleat, seu det jurisdictionem Confessario absolventi ex opinione tenuiter probabili, ut constat ex dictis in num. 53.

## DE APPROBATIONE.

3285. **A**pprobatio, quamvis ex vulgari usu loquendi confundi solet cum jurisdictione, proprie, & revera ab illa distinguitur; nam approbatio est, iudicium Ordinarii de idoneitate Sacerdotis ad confessiones excipientes, seu cui possit conferri iudicium ad confessiones excipientes; quod iudicium stare potest absque jurisdictione, ut si Episcopus non obstante iudicio de idoneitate Sacerdotis,

etiam non deputaret ad audiendas confessiones. Item Confessarius approbatus ab Episcopo non habet jurisdictionem ad absolvendum à casibus Bullæ Cœnæ, eam tamen habet per Bullam Cruciatæ, approbatione supposita, ut infra de Bulla. Vide à num. 3239.

3286. Quoad approbationem est Decret. Trid. sess. 23. de Reform. cap. 15. Decernit Sancta Synodus, nullum etiam Regularem posse confessiones secularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliis idoneis iudicetur, & approbationem, qua gratis datur, obtineat.

3287. Confessarius Regularis pro confessionibus secularium, ultra approbationem Episcopi, requirit approbationem sui Prælati Religionis, nempe Generalis, vel Provincialis: Ex Clem. cap. Dudum, de Sepult. adeoque, qui approbatione Episcopi, sine sui Superioris approbatione utitur, illicitè confessiones excipit, sed valide, quia Trident. pro valore nullam aliam approbationem requirit, nisi Episcopi.

3288. Approbatio ad beneplacitum, non expirat per mortem concedentis, aut ejus amotionem ab officio, quia ejus beneplacitum, & voluntas, eo ipso quod non fuerit revocata, moraliter perseverare censetur. Tamb. tom. 2. pag. 31. num. 8. Diana p. 6. tr. 6. ref. 48.

3289. Confessarius, sive Sæcularis, sive Regularis, injustè reprobatus, non potest validè Confessiones excipere; quia Trid. ad valorem Sacramenti approbationem Episcopi requirit, quam injustè reprobatus non habet.

Eadem ratione approbatus cum limitatione ad tempus, sexum, aut locum non potest validè terminis limitationis excedere; unde licet status Religiosus suppleat defectum ætatis ab Episcopis pro mulieribus requiri solita, approbatus tamen solum pro viris, non potest validè mulierum confessiones audire; præsertim post Bullam Clem. X. ubi vide §. 3. & §. 4. num. 3292. & 3293. Vide pag. 2. prop. 13. & pag. 3. prop. 36. ab Alex. VII. damn.

Quamvis enim de huiusmodi limitationibus ad favorem Confessariorum Regularium plura scripserit Villalobos tom. 1. tract. 9. dist. 53. num. 2. Leander de Pœnit. tract. 5. dist. 11. à quest. 83. ad quest. 91. & quamplures apud eos fundati in pluribus locis Canonice præsertim illo Clem. Dudum, de Sepult. Ubi fratribus Prædicatoribus, & Minoribus à suo Superiore Episcopo præsentatis, & ab illo injustè non approbatis, eo ipso Pontifex approbationem concedit, his verbis: Si verò iidem Prælati Fratribus ad audiendas confessiones, ut præmittitur, electis ejusmodi licentiam exhibere recusaverint: Nos ex nunc ipsis, ut confessiones sibi confiteri volentium liberè, liciteque audire valeant, gratiosè concedimus, de plenitudine potestatis Apostolicæ, apud Ardekin tom. 2. pag. 152.

3290. Modò tamen extat Bulla Clem. X. quæ Episcopis, & Regularibus in materia Prædicationis, & confessionis, omnino esse debet unica regula proflus servanda. Ubi præsertim attende verba Bullæ de §. 3. & 5. Bulla, est ut sequitur:

## CLEMENS EPISCOPUS.

§. 1. **S**uperius, &c. Nos attendentes, quod aliis diversis temporibus prædictæ declarationes, & controversiæ nonnullis Prædecessorum nostrorum Summorum Pontificum Constitutionibus, earumque Declarationibus definitæ fuerint: Ejusmodi definitiones in unum collectas, ut magis, magisque disensionem tollantur semina, & in posterum firmior in Agro Dominico Pax Christi floreat; pro summo, quo fungimur Apostolatus officio, novis Apostolicis litteris mandantes duximus, & roborandas: Itaque de consilio nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curie Prælatorum, pietate, doctrina, & prudentia præstantium, & maturata deliberatione nostra, atque ex certa scientia; hac generali, & perpetua vultura Constitutione decernimus, ac declaramus,

3291. §. 2. Regulares, qui in Ecclesiis sui Ordinis prædicare voluerint, teneri ab Episcopo Diocæsano benedictionem petere; prædicare tamen posse, quamvis illam non obtinuerint: Quod si Episcopus benedictionem nedum non concesserit, sed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem Ecclesiis licere Regularibus prædicare; eosque contravenientes ab illo tanquam Sedis Apostolicæ Delegato, censuris, aliisque pœnis Ecclesiasticis in vim Constitutionis sel. rec. Greg. XV. Prædecessoris nostri, incipientis: Inscrutabili Dei providentia, coerceri, & puniri posse. Episcopum tamen absque iusta, & rationabili causa contradicere non debere: Et huiusmodi benedictionem teneri etiam Regulares petere, si in quibuscunque Oratoriis sui Ordinis sermonem coram Populo, vel in Ecclesiis, aut ad Crates Monasteriorum Sanctimonialium eorum jurisdictioni subiectarum, licet clausis januis, & nullus Sæcularis ibi interfit, habere voluerint. Possent autem Episcopum licentiam concessurum Regularibus in Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt, prædicare volentibus illos, quamvis ab Universitatibus, aut à Magistratibus laicis nominatos, etiam si Episcopi antecessores per tempus inmemorable hanc licentiam absque examine concedere consueverint, quoad doctrinam examinare; si ita ipsius arbitrio, quod moderatum, & discretum esse debet, visum fuerit: & licentiam prædicandi semel iisdem concessam ob rationabiles causas; licet occultas, prædicationem tamen concernentes, suspendere. Non posse tamen Episcopum generatim prohibere Regularibus, quin in Ecclesiis suorum Ordinum prædicent.

3292. §. 3. Ad hæc Religiosos ab Episcopo ad confessiones secularium in sua Diocesi audiendas appro-

probatos, non posse in alia Diœcesi eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis poenitentes subditi sint ejus Episcopi, à quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati. Et generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum secularium confessiones audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones Monialium sibi subiectarum; sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione; atque approbatos pro audiendis confessionibus Monialium unius Monasterii, minimè posse audire confessiones Monialium alterius Monasterii. Itidemque Confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium confessiones pro una vice audiendas, haud posse, expleta deputatione, in vim approbationis hujusmodi illarum confessiones audire. Sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contingerit. Cæteram in Monasteriis, ac etiam Collegiis, ubi juxta Regularia instituta vivitur, posse tam Prælatos Regulares, quam Confessores Regularium eorundem Monasteriorum, seu Collegiorum, audire confessiones illorum secularium, qui inibi sunt verè de familia, & continui commensales, non autem illorum, qui tantum ipsis deferviunt. Illos autem Religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint ab Episcopo, generaliter quoque, & indistinctè absque aliqua limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis personarum, in Diœcesi propria admit-tendos.

3293. §. 4. Quoad cæteros verò, qui non adeo idonei reperientur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinquatur, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare, & admittere, semel autem simpliciter approbatos posse in Diœcesi Episcopi approbantis quovis anni tempore, etiam Paschali, & quoruncumque, etiam infirmorum confessiones audire absque ulla Parochorum, vel ipsius Episcopi licentia. De qua tamen confessione teneri dictos Religiosos eorundem infirmorum Parochum illicò certiore reddere. Et hoc posse illis ab Episcopo sub pœna suspensionis à facultate audiendi confessiones præcipi. Sufficere tamen, ut certioratio hujusmodi fiat saltem per scripturam, apud ipsum infirmum relinquendam.

3294. §. 5. Et eos, qui dictis Religiosis simpliciter approbati Paschali tempore confessi fuerint, Constitutioni, quæ incipit: *Omnis utriusque sexus*, quoad confessionem duntaxat satisfecisse censendos. Regulares verò ad ejusmodi confessiones audiendas prævio examine simpliciter, & absque ulla temporis præstatione ab ipsomet Episcopo, secus autem si ab ejus Vicario, aut ab antecessoribus Episcopis, approbatos, non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari; aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi, seu licentias illis concessas revocari, nisi nova superveniente causa, quæ ipsas confessiones concernat. De qua tamen haud necessarium

esse ut in actis constet; nec eam teneri Episcopum ipsis Regularibus significare; sed Sedi Apostolicæ duntaxat, ubi eam sibi aperiri postulat. Porro si Regulares cum scandalo, aut alias inhonestè vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Episcopi judicio videantur à confessionibus suspendi, in quo ipsius Episcopi conscientiam onerata esse volumus, cum præcipua Ministri Sacramenti Pœnitentiæ qualitas sit vite integritas, ac morum honestas, utique eam causam ad confessionis Ministerium pertinere, ac proinde nihil obstat, quominus ob eam possit Episcopus Regulares à semetipso approbatos suspendere, aut repellere à confessionibus audiendis. Attamen confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius Conventus Regularibus Confessoribus adimi ab Episcopo inconsulta Sede Apostolica nullatenus posse. Ex facultatibus per Mare Magnum, aliave privilegia Regularibus cujuscumque Ordinis, Instituti, aut Societatis, etiam JESU, concessis, factam eis non esse potestatem absolvendi in casibus ab Episcopo sibi reservatis. Et per Confirmationes dictorum privilegiorum, quas Regulares à Sede Apostolica post Sacrum Concilium Tridentinum obtulerunt; nequaquam revixisse privilegia prius ab eodem Concilio, aut deinde Apostolicis etiam Decretis sublata, atque extincta; si quæ habebant, absolvendi à casibus Episcopo reservatis.

3295. §. 6. Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, non idè à casibus Episcopo reservatis posse absolvere. Posse autem regularem Confessorem in ea Diœcesi, in qua est approbatus confluentes ex alia Diœcesi à peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem Confessor est approbatus, absolvere, nisi eisdem poenitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam Diœcesim pro absolutione obrinenda migrasse; vigore supradictorum privilegiorum, nequaquam licere Regularibus, etiam satisfacta parte, absolvere poenitentes à censuris quoad externum, & judiciale forum; & absolutos ab eis in foro Pœnitentiæ, utique non censeri absolutos in exteriori judicio, & contentioso. Quinimò censuris Ecclesiasticis interdictis, & denunciatis ab Episcopo cogi posse, gerere se pro talibus, etiam si à Regularibus fuerint absoluti. Quoties exhibitis aliquibus Regularium Apostolicis Privilegiis coram Episcopo, ab eo judicetur, ipsa non suffragari casui, de quo agitur: Si dictorum privilegiorum verba obscura sint, & ambigua; non esse ad Metropolitanum provocandum, sed cum ejus sit interpretari, cujus est condere, dictorum privilegiorum interpretationem Sedis Apostolicæ judicio, prout alias Constitutione Prædecessoris nostri sel. rec. Clementis IV. statutum fuit, esse exequendum.

3296. §. 7. Decernentes sic, & non alias, & irritum quoque, & inane quidquid fecerit super his à quoquam quavis autoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibusvis

Conf-

Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis in favorem quoruncumque personarum, atque quoruncumque Ordinum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Militiarum, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum etiam JESU, ac cujusvis alterius Instituti, etiam necessarii, & in individuo exprimentis, Monasteriorum, Conventuum, Capitulorum, Ecclesiarum, & aliorum quoruncumque, tam Sæcularium, quam Regularium locorum, necnon illorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, Indultis, Privilegiis, etiam in corpore juris clausis, ex causa, & titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam Mari Magno, seu Bulla Aurea, aut aliis nuncupatis, Conservatorum deputationibus, eorumque, atque aliis inhibitionibus, quibus Episcopi deferre minimè teneantur, & quibusvis aliis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis; necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliis quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis, concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis; quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenore hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & in insertis habentes, illis quoad ea, quæ eisdem præsentibus adveniant, illis aliis in suo robore per mansurum serie specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque, &c. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septuagesimo, undecimo Kalendas Julii, Pontificatus nostri Anno primo. ) Hæc Bulla.

3297. Verè de familia, & continui commensales dicuntur Oblati, Donati, seu Tertiarii, atque etiam sæculares, qui Religiosis deferviunt, & insuper intra eorum Monasterium septa habitant, vivunt, ac dormiunt, atque sub eorum Prælatorum obedientia degunt, non ratione voti, sed ratione servitii; hi namque gaudent privilegiis Religiosorum, quibus inserviunt, etiam si salario stipendiati sint; adeoque Confessarii Regulares possunt eorum confessiones audire ex sola approbatione Prælati Regularis sine approbatione Ordinarii loci. Quo privilegio non gaudent illi Sæculares, qui tantum inserviunt; sed cum Sæcularibus exteris extra Monasteria habitant, & vivunt. Turanus tit. de Confessoribus. n. 12. pag. 117.

3298. Confessarii approbati pro Fratribus non censentur approbati pro Novitiis, Melphi in cap. 6. stat. 7. q. 10. Quod probat ex Decretis Clem. VIII. pro Novitiis, ubi dicitur: *Magistro soli Novitiorum confessiones audiendi cura committatur.* Et injungitur, ut eis Confessarii extraordinarii bis, aut semel in anno deputentur. Et ex nostris statutis, quæ prohibent Novitios alii à Magistro confiteri; unde concludit Melphi, eorum confessiones factas referri à Magistro esse invalidas. Est contra Bord. res. 4. num. 11. qui tenet esse validas, putans, Decreta Clem. VIII. pro Novitiis non obligare sub culpa.

Certum est, quod si Novitiis frui volens Regularium facultate confiteretur cum Confessario ab Ordinario approbato pro Sæcularibus, valida esset confessio. Melphi cit.

Confessiones juvenum professorum factæ cum Confessariis approbatis pro fratribus, aliis à Magistris, sunt validæ. Melphi cit. nisi Provincialis in approbatione juvenes professos sub cura Magistrorum degentes expressè excluferit.

## DE CASIBUS RESERVATIS.

3299. **L**icet ignorantia censura, irregularitatis ex delicto, &c. excuset à censuris irregularitatis, &c. ignorantia reservationis non excusat à reservatione; quia reservatio non est pœna, sed medicina; est enim limitatio potestatis Confessoriarum ad bonum regimen, & ob bonum publicum facta, ut scilicet fideles ab his peccatis committendis absterceantur, dum vident, non posse ab ordinariis Confessariis absolvi. Tum quia reservatio est restrictio jurisdictionis, quæ tota pendet à voluntate Superioris, adeoque non oportet ut eam sciat Reus, sed Confessarius.

3300. Reservatio non est facienda, sicut neque excommunicatio major est ferenda pro venialibus, aut mortalibus tam confessis, sed pro mortalibus gravioribus. Ita Doctores communiter vide Tamb. tom. 2. pag. 40. de Cas. Res. cap. 2. num. 3. Leandrum de Pœnit. tract. 5. dis. 11. q. 6. Maltrium in Theol. Mor. dis. 21. q. 9. num. 224. Ratio communis est. 1. Quia venialia, & mortalia confessa sunt materia libera, adeoque eorum reservatio esset inutilis. 2. Quia reservatio est ab Ecclesia instituta ad coercenda delicta atrocita. Constat ex Trid. sess. 14. cap. 7.

(Magnopere verò ad Christiani populi disciplinam pertinere Sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam, & graviora crimina non à quibusvis, sed à Summis duntaxat Sacerdotibus absolventur; unde merito Pont. Max. pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare. Nequè dubitandum est, &c. quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cujusque Diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem, liceat pro illis in subditos tradita supra reliquos in-

feciores Sacerdotes auctoritate, præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est.)  
*Vide num. 151. 1999.*

3301. Hinc Clemens VIII. pro casibus reservatis pro Religiosis edidit Decretum tenoris sequentis: Sanctissimus D. N. jam pridem accuratè perpendit, & re ipsa comperit, quod reservatio facultatis absolvendi Religiosos pœnitentes à peccatis quibusdam gravioribus, nisi Superiores admodum prudenter, ac moderatè illa utantur, nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori suo conscientia maculas detegere formidant, adducere posset in æternæ damnationis periculum, & spiritualis remedii desperationem.

Quocirca, ut huic malo Sanctitas sua opportune provideret, decrevit, ut nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutiones sibi reservet, exceptis iis, quæ sequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot, prout subditorum utilitati expedire in Domino judicaverit.

1. Veneficia, incantationes, sortilegia.
2. Apostasia à Religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eò pervenerit, ut extra septa Monasterii, seu Conventus fiat egressio.
3. Nocturna, & furtiva à Monasterio, seu Conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta.
4. Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale.
5. Juramentum falsum in iudicio regulari, seu legitimo.
6. Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum scutum, etiam effectum non securo.
7. Falsificatio manus, aut sigilli Officialium Monasterii, aut Conventus.
8. Furtum de rebus Monasterii, seu Conventus in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale.
9. Lapsus carnis opere consumatus.
10. Occisio, aut vulneratio, seu gravis percussio cuiuscumque personæ.
11. Maltiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio litterarum à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.

Si quod aliud peccatum grave pro Religionis conversatione, aut pro conscientia puritate reservandum videtur, id non aliter fiat, quàm Generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis in Provincia, matura discussione, & consensu. Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures Confessarios, pro subditorum numero majori, vel minori, &c. qui à non reservatis eos absolvant, & quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, &c. Datum Romæ apud S. Petrum 26. Maii 1593.

3302. Præfatum Decretum confirmavit Urban. VIII. per Decr. S. Congr. Conc. die 21. Sept. 1624. addens, quod sequitur:

(Sanctitas sua deinceps declaravit, ut si hujusmodi Regularium Confessariis casus alicujus reservati facultatem petentibus, Superior dare noluerit, possint nihilominus Confessarii illa vice penitentes Regulares, etiam non obtenta à Superiore facultate, absolvere.) *Vide tom. 3. num. 282.*

3303. Facultas reservandi casus in Religionibus competit Superioribus auctoritatem quasi Episcopalem habentibus, nempe Generalibus, Provincialibus, & Abbatibus; unde in mea Religione adest statutum Capituli Gen. Alsilii de anno 1526. (Ordinatur, & mandatur auctoritate Apostolica, & totius Capituli Generalis, quod nullus Guardianus possit sibi reservare casum aliquem, sed solus Minister Provincialis id poterit) Turanus *tit. de Prælatiis, pag. 291. num. 8.* & Rodrig. *tom. 1. q. 12. art. 2. vide num. 2432.*

Reservationem imprudenter, & immoderatè factam, invalidam, ait esse Vazquez, quia ex Trid. Prælati reservare possunt solum in saluè, non in destructionem. Verius tamen dico, esse graviter illicitam, juxta dicta in 2. tom. num. 5. & 6. adeoque moderandam, sed validam; quia nec Trid. nec Clemens VIII. utitur particula irritativa. Tambur. *tit. pag. 48.*

3304. Prudentiam autem in excommunicatione infligenda; ultra Trident. *sess. 25. de Reform. cap. 3. relatum in 2. tom. num. 5.* satis insinuat Scotus in 4. dist. 19. q. 11. lit. L. his verbis: *Et sic excluduntur quadam pericula, quæ proveniunt ex pronitate quorundam sanctorum ad excommunicandum; frequens sequens est hujus gladii percussio, qui tamen rari ab Apostolis invenitur extractus. In omnibus enim Epistolis Pauli, non invenies, quod excommunicaverit, nisi tribus vicibus: Primo, prima ad Corinth. 5. &c. Idem in prima ad Tim. &c. Idem ad Gal. 1. &c.*

3305. Peccata, ut sint reservata, debent esse consummata; unde non sufficit, si sint attentata, nisi in reservatione exprimat.

3306. Pueri ante annum 14. pubertatis, licet eximantur à censuris (de quo infra) non eximuntur à reservatione; quia reservatio est restrictio jurisdictionis facta Confessario; quæ quidem est valde utilis pueris, ut à gravioribus peccatis deterreantur. Tambur. *tom. 2. pag. 40. num. 5.*

3307. Vagi, & peregrini, si discedant à loco, ubi peccatum non est reservatum, & accedant ad alium locum, ubi est reservatum, non possunt ab eo absolvi; quia vagi, & peregrini, qui scilicet nullibi degunt cum animo majori anni parte permanendi, ubique sortiuntur forum: eadem ratione, si bona fide discedant à loco, ubi peccatum est reservatum, & accedant ad locum, ubi non est reservatum, possunt ibi à Confessario communi ab eo absolvi, nisi eò accesserint in fraudem reservationis, ut in Bulla Clem. X. s. 6. num. 3295.

3308. Eadem ratione, si quis peccatum commissum heri, quando erat reservatum, confiteatur ho-

hodie, quando non est reservatum, quatenus Superior hodie reservationem abtulit, potest ab eo absolvi à Confessario communi; & contra si peccatum commissum heri quando non erat reservatum, confitetur hodie, quando factum est reservatum, non potest ab eo Confessario communi absolvi; quia in primo casu hodie non est Confessarii communis restrictio jurisdictionis, bene verò in secundo casu. Tambur. *tom. 2. pag. 40. num. 9.* Diana *part. 10. tract. 15. resol. 39.* contra Pasqualium, qui etiam affirmat in secundo casu, ex eo quia *lex de novo aliquid disponens, non trahitur ad præterita, sed solum ad futura.*

3309. Qui confitetur habenti potestatem super reservatis, si inculpabiliter oblitus sit reservatorum, potest postea, quando memoria occurrunt, ab eis à quolibet Confessario communi directè absolvi, quia jam est ablata reservatio, ob intentionem virtutalem, aut interpretativam penitentis; nam penitens dum petit absolvi, virtualiter petit, in quantum indiget, & ipse Confessarius intendit absolvere in quantum potest, & penitens indiget, ut patet per illa verba: *In quantum possum, & tu indiges;* tunc igitur tollitur omnis reservatio, & censura. Maltrius *disp. 21. q. 9. num. 235.* Pontius, Diana, & communior.

3310. Idem die de eo, qui tempore Jubilæi est confessus, inculpabiliter alicujus reservati oblitus, etiam postea intra tempus Jubilæi omnia opera præscripta non impleverit, & inde Indulgentiam non sit lucratus, modò dum confessus est, verum animum Jubilæum lucrandi habuerit: potest, inquam, post Jubilæi tempus, quando recordatur, directè super eo, à communi Confessario absolvi, ut infra de Jubilæo.

3311. Confessarium, si post debitum examen dubitet an penitens lapsus sit in mortale reservatum dubio juris, aut facti, sive dubium sit positivum, sive negativum, judicare debere in favorem penitentis, quod non sit reservatum, & absolvere, tenent Maltrius *disp. 21. q. 9. num. 234.* Tambur. *tom. 1. de Conf. pag. 21. verb. Casus.* Leander *de Pœnit. tract. 5. disp. 12. q. 11.* Ardekin *tom. 2. pag. 208. num. 11.* rationem habes in num. 53. & 56. vide num. 19. & 23. Freira vult, debere absolutionem suspendere, usquequò consultus peritior.

3312. Quod si postea penitens certò cognoscit, commississe peccatum reservatum. Maltrius, & Leander *q. 12. cit.* cum aliis tenent, quod non sit obligatus recurrere ad habentem facultatem; idque ex præsumpta voluntate Superioris, quod non velit reservationem in dubio, nisi exprimat. At absolutè dico cum aliis, quod sit obligatus, ut dictum est de peccato dubio, postea cognito ut certo, in num. 3045. Tùm quia ignorans, casum esse reservatum, licet bona fide absolvatur, cognito errore, tenetur accedere. Imò ipse Confessarius, si veniat in notitiam certam, tenetur penitentem, licentia petita, moneere de errore commisso; quia revera erravit absolven-

do. *Vide num. 3233. & de Scien. Confes. & in pag. 7. prop. 17. & 20. ab Alex. VIII. damn.* Plura vide à num. 3121.

3313. Reservatio cum sit odiosa, est benignè interpretanda; unde restringi debet ad peccata certò reservata, non ad dubia, sive dubium sit juris, sive facti.

Nec obstat Decr. Clem. VIII. de anno 1601. quod in reservatione comprehendit casus Cœnæ dubios, nam fuit moderatum per alius Decr. ejusdem de anno 1602. ubi omisit particulas illas: *Clarè, vel dubiè contentis.* Vericelli *tract. 8. q. 16. & com.*

## DE POTESTATE EPISCOPORUM in reservata

3314. **A**dest Decretum Trid. *sess. 24. de Ref. cap. 6.* ut sequitur:

(Licet Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, & in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in Diocesi sua per ipsos, aut Vicarium, ad id specialiter deputandum, in foro conscientia gratis absolvere, imposita penitentia salutari. Idem, & in hæresis criminæ in eodem foro conscientia eis tantum, non eorum Vicariis sit permillum.)

3315. Hujus igitur Decreti virtute possunt Episcopi ab hæresi absolvere; quod facere possunt extra Sacramentum Penitentia, imò, & in absentia, quia est absolutio à censura, ut in num. 3152. nam pericula illa in foro conscientia, solum importat, ut talis absolutio non prosit in foro externo, si contingat, hæresim in iudicium deduci. Diana *part. 1. tract. 5. ref. 2.* Ita ut, si casus fiat publicus, sic absolutus, ad vitandum scandalum, & ad non inferendum præjudicium foro exteriori, debeat in publico se gerere tanquam excommunicatum; possit tamen in occulto, secreto, & sine scandalo se gerere, ut non excommunicatum, Missam audire; Sacramenta recipere, cum aliis loqui, manifestando, se esse absolutum. *Vide num. 3466.*

Data absolutione censuræ, potest quis à casti, etiam hæresis, à quolibet simplici Confessario absolvi; quia, ablata censura reservata, cadit reservatio casus, *vide tom. 2. à num. 389. ad 392.*

3316. Insuper hæresis absolutionem potest in casu particulari occurrente, suo Vicario Generali committere. Diana *part. 3. tract. 6. ref. 92.* Joann. Dicastillo *tract. 10. de Censuris, dub. 4. sect. 4. pag. 186.* nam per verba illa, *in quibuscumque casibus per se, aut Vicarium;* & per alia; & in hæresis criminæ eis tantum, non eorum Vicariis sit permillum; sensus est, quod in aliis casibus præter hæresim, possit Episcopus specialiter deputare suum Vicarium quoad omnes casus contingentes, ea ratione, quod qui potest

tatem ordinariam habet (uti est Episcopus) potest eam alteri generaliter delegare; in casu verò hæresis non possit facultatem absolvendi delegare suo Vicario ad omnes casus hæresis contingentes: At non inde sequitur, quod non possit eam illi delegare in casu particulari hic, & nunc occurrente; sicut enim in casu particulari hæresis hic, & nunc occurrente potest Episcopus alteri à Vicario committere, ut absolvat, cur non potest suo Vicario? Tunc igitur Vicarius Generalis absolvat, non ut Vicarius Generalis, seu ut specialiter deputatus generaliter ad omnes casus hæresis contingentes; sed ut particularis, seu ut specialiter deputatus specialiter ad casum particularem hic, & nunc occurrentem.

3317. In Decreto est sermo de occultis. *Ocultum* est, quod non est notoriè divulgatum, & potest aliqua tergiversatione celari, ex Sanchez.

Ocultum non est, quod est notum majori parti Viciniae, Parochiae, aut Monasterii, dummodo ibi sint saltem decem personae. Fagundez ait, non esse publicum in magna Civitate, si sit notum septem, vel octo personis. Et Donatus *rom. 1. part. 2. pag. 67.* si sit notum octo, vel decem personis.

3318. Crimen commissum in domo, aut familia, non est per se publicum; quia domus privata non est Universitas, seu Communitas. Donatus *cit. nisi* ex circumstantiis prudenter judicetur, fore faciliter evulgandum, puta si ibi reperti sint exteri plures loquaces, &c.

3319. Occultum in una Provincia posse ibi, tanquam occultum absolvi, quamvis in alia sit publicum, docet Avila *part. 2. cap. 7. disp. 11. concl. 3.* cum Salmanticensibus contra Suarium; quia tale crimen revera in eo loco est occultum. Quam sententiam sequitur Joan. Dicastillo *tract. 10. de Censuris, dub. 4. sect. 2.* & Leander *de Censuris, tract. 2. disp. 17. q. 57. maxime, si delictum sit publicum in loco tam distante, ut non sit spes, ut faciliter ad locum illum, ubi est occultum, deferatur.*

3320. Dicitur, *deductum ad forum contentiosum*, quando est deductum in iudicium, & reus est citatus. Quod si postea non probetur, manet occultum ex defectu probationis in iudicio, & potest ab Episcopo absolvi.

Si iudicium sit finitum, & reus punitus, posse ab Episcopo absolvi, docent Bardi in *Selectis, lib. 7. q. 14. num. 7.* Leander *de Censuris, tract. 2. disp. 17. q. 56.* quia Trid. dum talem facultatem excludit, loquitur, dum delictum est deductum ad forum contentiosum, & est in fieri fori, minime peracto iudicio; quia peracto iudicio, jam salvatur finis Tridentini, qui est, ne quis declinet à foro, sed satisfaciatur iudici. At probabilius mihi est, non posse Bonacina *de Censuris, disp. 1. q. 3. punct. 2. & disp. 7. q. 5. punct. 1.* quia tunc delictum est factum publicum publicitate juris.

3321. Capitulum, Sede vacante, potest id, quod potest Episcopus, quia ei succedit in tota ju-

risdictione ordinaria; unde potest virtute ejusdem Decret. Trid. alteri committere absolutionem hæresis; debet autem hæresis deferri Capitulo sine exceptione personæ absolvenda; ne aliter fiat publica, & absolvi non possit. Diana, & Tamb.

3322. Hæc facis dicta sint virtute Decreti Trid.

#### DIFFICULTAS CELEBRIS EST:

3323. **A**N hodie stante Bulla Cœnæ, possint Episcopi absolvere in foro conscientia à casibus occultis in Bulla Cœnæ contentis, maxime ab hæresis.

3324. Pro aliis casibus reservatis extra Bullam Cœnæ vigere facultatem. Trid. & pariter doctrinas à num. 3315. hæcenus traditas militare, non est dubium.

3325. Pro casibus igitur in Bulla Cœnæ contentis, duæ sunt sententia.

Prima affirmat. Leander *de Censuris, tract. 2. disp. 17. q. 45. & 46.* Tamb. *com. 1. lib. 2. cap. 1. pag. 49. §. 8. num. 12.* Joan. Dicastillo *de Censuris, tract. 10. dub. 5. num. 65. pag. 191.* Donatus *rom. 1. part. 1. tract. 13. q. 16. num. 17.* Melphi in *Comp. cap. 2. stat. 14. pag. 111.* Port. Fagundez, & innumeri alii apud ipsos. Et post propoi. dama. Arskedin, & Fenech.

Ratio est; quia potestas, quam habent Episcopi absolvendi à casibus occultis, etiam hæresis, reservatis in Bulla Cœnæ, est certa; revocatio dubia igitur non sunt ea spoliandi; nemo enim est spoliandus jure certo per superveniens dubium: Et in dubiis melior est conditio possidentis.

Major liquet; quia talis potestas eis competit ex jure communi antiquo, & Tridentini.

Minor suadetur; nam vitanda est correctio juris, quando commodè fieri potest conciliatio, maxime loquendo de Trid. cujus decreta sunt tanta auctoritatis apud Pontifices, ut quotidie eorum observantiam præcipiant; & viridem esse velint; Bulla autem Cœnæ, cum non exprimat casus occultos, de quibus expressè loquitur concessio Tridentini facta Episcopis, potest applicari de publicis, pro quibus ipsum Trid. prohibet.

3326. Item per clausulam generalem non intelligitur revocatum alicujus Concilii generalis decretum, nisi de eo fiat specialis, & expressa mentio, ex cap. *Ex parte, de Capel. Monach.* & ibi Glossa, *verb. Nulla mentio, cap. Nonnulli, de Rescript.* & ibi Glossa, *verb. Fecerint mentionem*; quod maxime procedit de Trident. ob ejus specialem gravitatem.

Denique per Bullam Cœnæ revocantur privilegia (ut liquet ex verbis) non jus commune, maxime Tridentini, & ita docuerunt Bannes, Henriquez, Penna, Medina, Gallus, & alii, qui fuerant in Concilio; quos refert Joan. la Cruz *de Sacrament. Pentr. q. 5. dub. 4. num. 1.*

3327. Præmissa verò ratio æquè probat de casu

hæ-

hæresis occultæ; quia Bulla Cœnæ non facit specialem reservationem pro hæresi.

His accedit praxis, & consuetudo, qua virtute Bullæ, casus Cœnæ occultii (excepta tamen hæresi) absolvuntur toties quoties, in quantum casus occultii dicuntur evadere Episcopales; consuetudo autem dat jurisdictionem. Vide à num. 3274.

3328. Non obstant declarationes Pontificum, & S. Congr. quæ in contrarium referuntur pro hæresi occultæ; quia aliqua expressè loquuntur de virtute Bullæ Cruciatæ; alia non constant authenticè, ut constare debent, ex num. 219. Non debet autem cadere Decret. Tridentini per voces.

3329. Imò in contrarium Leander *cit.* adducit auctoritatem Cardin. Caraffæ, à quo nomine S. Congr. sibi Comitolus esse responsum affirmat, nihil videlicet per Bullam Cœnæ derogatum esse, aut hoc tempore derogari antiquis Episcoporum Privilegiis: Quod idem fecisse Pium V. refert Vivaldus cum aliis. Ita Leander.

3330. Nec demum oblat propositio tertia damnata ab Alex. VII. relata in pag. 1. quia ibi damnatur propositio hypothetica, quod

*Sententia asserens, Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliarum criminum quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. die 18. Junii in Consilio Sac. Congr. Eminenti. Cardin. visa, & tolerata est.*

In qua propositione ly *Visa, & tolerata est, damnatur*; quia hoc est predicatum, & totum id, quod antecedit, est subiectum propositionis damnatæ.

Hæc sunt motiva primæ sententiæ affirmativæ pro Episcopis.

3331. Secunda sententia, quam amplectendam dico, negat de omnibus in Bulla Cœnæ contentis, & maxime hæresi, Diana *part. 1. tract. 5. ref. 2. part. 3. tract. 6. ref. 92. part. 4. tract. 4. ref. 239. & part. 7. tract. 2. ref. 23.* Volpi *ref. 21.* Fagnanus *lib. 1. Decret. C. Quoniam 13. de Const.* Delbene *de Inquis. part. 1. dub. 55.* Suarez, Toletus, Villalobos, & alii apud ipsos.

Constat ex ipsa Bulla Cœnæ, quæ postquam 20. Excommunicationis contra 20. casus fulminat, immediate dictas censuras reservat, his verbis:

3332. Cæterum à prædictis sententiis nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo, cautione præstita, absolvi possit, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum, quibuscumque personis Ecclesiasticis, Sæcularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militarium Regularibus, etiam Episcopalis, vel alia majori dignitate præditis, &c. Necnon laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana Excellentia fulgentibus, per Nos, & dictam Sedem, ac cujusvis Concilii

Decreta, &c. concessorum, aut concedendorum.

3333. Quod si fortè aliquod contra tenorem præsentium talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel aliorum alicujus, absolutionis beneficium impendere de facto præsumpserit, eos excommunicationis sententia innodamus.

3334. Non obstantibus Privilegiis, Indulgentiis, Indultis, &c. ex quavis causâ, etiam per viam contractus, aut remunerationis, &c. ac cum quibuscumque clausulis, etiam derogatoriis derogatoriis concessis.

3335. Et quia nullum Concilium facultatem à dictis reservatis absolvendi Episcopis concessit, nisi Tridentinum *cit.* ideo ejus facultatem Bulla Cœnæ revocat, alias superflua essent verba illa: *Ac cujusvis Concilii Decreta.*

Ac proinde non obstant textus num. 3326. relati; quia in revocatione per Bullam Cœnæ sit mentio Tridentini in specie per verba æquipollentia; quoties enim derogatio Pontificia verificari non potest, nisi aliquo Concilio individuali derogato; derogatio, quæ secundum terminos generalis apparet, censetur specifica, & individua, ex l. 2. ff. de Liberis, & Posthumis. Diana *part. 3. tract. 2. sect. 23.*

3336. His accedit declaratio S. Congr. Univers. Inquisit. Rom. quam refert Prothonotarius Apost. Piafescii in *praxi Episcop. part. 2. cap. 1. num. 4.* supra Bullam Cœnæ, & est sub his verbis:

*An Episcopus, & Inquisitores possint hodie, ex cap. 6. sess. 24. absolvere lapsos in hæresim, non obstante Bulla Cœnæ Domini, Congregatio censuit eam Bullam derogare Decreto, cap. 6. Delbene de Inquis. part. 1. dub. 5. num. 16. pag. 193. eam refert; & est sub his verbis:*

*Congregatio censuit huic decreto Conc. Trid. sess. 24. cap. 6. de Resorm. non tantum in crimine hæresis, sed in omnibus casibus comprehensis in Bulla Cœnæ Domini Pii V. esse derogatum.*

Et Pegna in 3. part. *Direct. q. 92. Inquisit. com. 141. vers. Equidem.*

*Equidem in Supremo Inquisit. Prætorio Sac. & Gen. Rom. Inquisit. sæpe pronuntiatum est, nec posse, nec debere Episcopum amplius virtute Concilii absolvere occultos hæreticos in foro conscientia; sive quia per Bullam Cœnæ sit Tridentino derogatum, sive quia Pius V. & Gregor. XIII. ita declararunt.*

3337. His de causis ortum habuit damnatio Alex. VII. qui damnavit quidem propositionem hypotheticam, sed ita, ut ipsam Categoricam, quæ est ejus subiectum, damnaverit: Damnavit namque (quod sententia asserens, Bullam Cœnæ prohibere absolutionem criminum in ea contentorum, solum quando publica sunt, ac proinde non derogari Decreto Concilii, fuerit visa, & tolerata) igitur ejus contradictoria, quod talis sententia fuerit tolerata, est falsa; ergo ante ipsam damnationem dicta sententia non fuit tolerata, sed con-

tra-

tradicta ab ipsamet Bulla Cœnæ, adeoque est falsa.

3338. Conveniunt autem fere Authores utriusque intentione, quod possit Episcopus dispensare in irregularitate ex hæresi occulta proveniente; quia in *Trid. cit.* sola irregularitas ex homicidio voluntario excipitur: & in concessione exceptio firmat concessionem aliarum. Nec ex negatione facultatis absolventi ab hæresi inferitur negata facultas dispensandi in irregularitate; quia per Bullam Cœnæ absolutio à censura reservatur, minimè dispensatio ab irregularitate; imò de hac nulla fit mentio.

Item sunt res diversæ, & à separatis non fit illatio, ex *l. Papinian. exul. ff. de Minoribus.* Et accessorium sequitur suum principale in gratiosis, minimè in odiosis, & quando non est accessorium naturale, sed ex jure positivo humano. Alberghinus in *Manuali Qualif. pag. 32.* cum Bord. Castropal. & Fagund. contra Matrium, qui *disp. 13. num. 187.* cum Bonacina. negat; quia cui prohibetur majus, prohibetur minus, ex *cap. Cum illorum, de Sentent. excom.* Ubi habetur, Episcopos non posse dispensare in iis casibus, in quibus est prohibita absolutio.

3339. Conveniunt etiam communiter, quod absolvens à casibus Bullæ Cœnæ sit excommunicatus, sed quod talis excommunicatio non sit reservata. Volpi *ref. 20. num. 39.* & constat ex ipsa Bulla, ut in *num. 3333.* licet tamen non sit reservata vi Bullæ Cœnæ, est reservata Papæ. Ex *Decret. Sac. Congr. jussu Clem. VIII. 9. Januar. 1691.* de quo infra.

#### QUÆRES I.

3340. *Quid agere debeat hereticus occultus, si ob periculum insaniam, aut gravis scandali, ei urgeat necessitas celebrandi, aut communicandi?*

R. Espondeo, debere uti remedio exposito à *num. 3121. ad num. 3125.* Volpi *ibi cit. Diana part. 7. tract. 2. ref. 23. & p. 1. tract. 5. ref. 4.*

#### QUÆRES II.

3341. *An Inquisitores possint in foro conscientie absolvere ab hæresi occultâ?*

R. Espondeo: Inquisitores in Regnis Hispaniæ, & Siciliæ possunt absolvere ab hæresi non solum in foro judiciali, & externo, sed etiam in foro interno conscientie, minimè alii Inquisitores. Diana *part. 1. tract. 5. resol. 4. part. 8. tract. 7. resol. 50.* Freitas Acugna, Villalobos, Carena *part. 2. tit. 2. §. 7. num. 61.* & quamplures apud ipsos, & post propositionem. dam. Pitschius de *Superstit. part. 1. cap. 29. num. 5. pag. 200.* Quorum alii hanc facultatem Inquisitoribus Hispaniæ, & Siciliæ competere dicunt ex speciali Privilegio, alii ex usu, & consuetudine, & ex tacita permissione, ac benignitate S. Sedis, & quidem rationabili; quia cum sint distantes ab Urbe, præventur hæretici occultis apto remedio, retardarentur venire ad fidem, & cogerentur accedere Romam, quod est remedium non suave, sed rigorosum.

3342. Dicta firmat Carena *cit. num. 61.* ex Ma-

ximo in *praxi S. Offic. pag. 10. assert. 108. dicens;* ita fuisse decisi à Supremo Tribunali Urbis.

Et quidem plura esse à S. Sede concessa Inquisitoribus Hispaniæ, quæ non sunt aliis concessa, liquiddò constat, ut *ex tom. 2. Adde, Inquisitores in materiis fidei esse delegatos S. Sedis.*

3343. Hæc facultas absolventi in foro conscientie ab hæresi occulta competit, non solum toti Consistorio, sed cuilibet Inquisitori seorsim, ita ut quilibet possit talem facultatem cuilibet Confessario in casu occurrente specialiter committere. Nec ad talem facultatem excedendam, aut committendam requiritur in Inquisitore ordo Sacerdotalis; quia hæc facultas est concessa Inquisitori non annexa ordini, seu in ordine ad Confessionem Sacramentalem, sed annexa Officio. Diana *part. 1. tract. 5. ref. 30.* Joand. Castillio *tract. 10. de Confessis, dub. 12.* Freitas, Villalobos, & alii apud ipsam.

#### QUÆRES III.

3344. *Quid agere debent impediti?*

#### IMPEDITUS

3345. **P**ersonaliter adire Pontificem, non tenetur mittere pro absolutione per Nuncium, aut litteras; ita absolute tenent Donatus *tom. 1. part. 2. pag. 69. num. 11.* Tamb *tom. 1. pag. 61. num. 9.* Mendo in *Epist. verb. Reservati casus, n. 40.* Leander *de Confessis, tract. 2. disp. 17. q. 60.* quia jura solum exigunt personam.

3346. Cæterum pro occultis puto, recurrentium esse ad Sacram Pœnitentiarum per Episcopos, in casibus ad illam spectantibus, si commode fieri possit, & necessitas aliqua non impediat; quia ad hoc est Sacra Pœnitentia ex benignitate Apostolica instituta, ad quam (maximè in nostris regionibus) facilis est recursus, & nullum est infamie periculum. Vide *instruccionem in pag. 32. num. 257.*

3347. Certum tamen est, quod non teneatur accipere Bullam Cruciatæ; quia est remedium extraordinarium.

Impeditus igitur adire Papam, impedimento perpetuo, aut longi temporis, potest ab Episcopo directè absolvi pro utroque foro ab omnibus casibus publicis reservatis Papæ à jure, ab omni homine, etiam in Cœna Domini. Donatus *cit. Tamb. cit. pag. 62.* Leander *cit. q. 59.* Pelliz. de *Monialibus, cap. 9. n. 26.* & Com. *cap. Si quis suadente, cap. Ea noscitur, cap. Mulieres, cap. de Monialibus, tit. 39. de Sent. excom. in lib. 5. quæ jura licet loquantur de censura ob percussione Clerici publicam, & enorme, militant tamen in cæteris censuris, & casibus; quia eadem est ratio legitimè impediti, & benignitatis Apostolicæ, ne animæ periclitentur. Cui accedit praxis.*

3348. Impediti ire Romam, recensentur in *lib. 5. tit. de Sent. Excom. in cap. 58. Quamvis incidens, his verbis.* Nili imminente mortis articulo, infirmitate, inimicitia, aut inopia, puerilis, vel senilis ætate, seu alia

aliâ corporis impotentia, sive quolibet impedimento Canonico retrahatur, quominus Romanum Pontificem possit adire, vel nisi juris beneficio à labore hujusmodi excusetur.

Item ibi in *cap. 13. Ea noscitur. Mulieres, senes, valetudinarii, seu membrorum destitutumibus impediti, licet ad Apost. Sedem non veniant, ab Episcopis valeant Fidelium communioni restitui, satisfactio juxta facultates his, quibus per eos constituitur injuriis irrogatas.* Impedimenta igitur legitima sunt:

1. *Articulus mortis,* de quo infra.
2. *Infirmitas longa;* licet non periculosa, ut podagra, &c.
3. *Inimicitia,* qua græve damnum sibi, aut suis prudenter timet, si discedat.
4. *Paupertas,* quia nemo tenetur accedere mendicando.
5. *Ætas puerilis,* seu impuberis, vel senilis.
6. *Fragilitas sexus,* sic sunt impeditæ mulieres omnes, maximè Montiales.
7. *Debilis virtus,* sic viri delicati, qui labores itineris sustinere non valent.
8. *Africtus alteri,* sic qui sui juris non est, ut servus, aut filiusfamilias, quando sine præjudicio Domini, aut parentis Papam adire non possunt.
9. *Cura animarum, aut temporale dominium,* quando rationabiliter timeatur, ne subditi damnum patiantur. Sic qui proprio labore tenetur alere filios uxorem, familiam. Sic qui habet officium publicum, quod iter impedit, quodque relinquere sine detrimento non valet.
10. *Quodlibet aliud impedimentum legitimum prudentis judicii;* quod iter impedit, ut detentio in carcere, &c.

3349. Si impedimentum est perpetuum, absolventur sine onere comparandi; si temporale, cum onere comparandi, aliàs reincident in aliam similem excommunicationem. Ex *cap. Eos, qui, de Sent. Excom. cap. Statutus, & lib. 5. & cap. 11. de Cætero, tit. 39. de Sent. Excom.*

Excipitur in impubere, qui factus puber, non tenetur Papam adire, sed adhuc post pubertatem potest ab Episcopo absolvi de censura in impubertate contracta. Leander *cit. q. 59. ex cap. Quamvis, &c. Pueris, de Sent. Excom.*

3350. Cæteri, elapso impedimento, tenentur se præsentare Papæ, quamprimum commode possunt, prudentis arbitrio, attentis circumstantiis personæ, loci, temporis, provisionis faciendæ, &c. taliter, ut non addit notabilis negligentia, aut fraus.

3351. Sufficit, si se præsentent per Procuratorem, si Papa sit contentus, & non velit taxativè personam; quia jura, dum exigunt personam, benignè concedunt, ut impeditus non teneatur mittere Procuratorem, sed ut non impeditus possit per se ipsum, aut Procuratorem. Leander *cit. quest. 67.* Excipitur casus percussione Clerici, pro quo cap.

*Quod de his, de Sent. Excom. exigit taxativè personam.*

Præsentatio tunc fit, non ad obtinendam absolutionem, cum jam sit directè, & plenè absolvens; sed ad obediendum mandato Papæ, qui ultra satisfactionem partis, hoc aliud, ut partem satisfactionis, exigit Sanchez apud Leandrum *cit. q. 66.*

3352. Præfatos impeditos ire Romam, si sint etiam impediti adire Episcopum, posse à præsens casibus publicis absolvi in foro conscientie à Parocho, aut alio legitimo Confessario, & in horum defectu à quolibet Sacerdote, affirmant Castrop. & plures apud Leandrum *cit. q. 62.* quatenus eadem est ratio, quare fuit concessa Episcopis dicta facultas. Sed rectius negant Leander *cit. & Diana part. 9. tract. 7. ref. 10.* quia jura in dictis impedimentis solum ad Episcopum conceduntur recursum; non ad Parochos, & Confessarios inferiores. Excipitur casus necessitatis, quod instaret confessio, aut communio, de quo infra à *num. 3354. ad 3361.*

3353. Impeditus adire Episcopum pro casibus ipsi reservatis, pariter posse absolvi ab inferiori, affirmant Tamb. *tom. 2. lib. 5. cap. 12. §. 2. num. 35.* Castrop. Amendolia, & alii in foro conscientie, & cum iisdem oneribus; quatenus non obligat strictius Episcopos, quam Summus Pontifex.

At rectius negant Matrium *disp. 21. num. 232.* & de Lugo; quia jura id concedunt Episcopis in casibus Pontificis propter distantiam; & accessum difficiliorem, quod non est in ordine ad Episcopos, qui maximè faciliter possunt penitentiariorum in locis Diocesis deputare; hinc Conc. Trid. tantum mortis articulum excipit.

#### IN ARTICULO MORTIS.

3354. **S**EU in probabili periculo ejus, Confessarius inferior, imò quilibet Sacerdos potest ab omnibus casibus, & excommunicationibus reservatis, etiam ab hæresim directè absolvere (minimè à suspensione, & interdicto. De Lugo de *Pœnit. dub. 20. num. 203.* ex *Decret. Trid. sess. 14. cap. 7. num. 3245.* relato) ex *Decret. Trid. sess. 14. cap. 7.*

3355. Hoc tamen est discrimen inter peccatum, & censuram, ut si peccatum non habeat annexam censuram, absolutus à peccato reservato in articulo mortis, si convalescat, non tenetur se præsentare Superiori, quia onus comparandi, quod jura in illo articulo imponunt, solum est pro censuris reservatis; exceptio autem firmat regulam in contrarium. Matrium *disp. 21. num. 232. & Com.*

Si verò sit ei annexa censura, cujusmodi sunt casus reservati Pontifici, tenetur se præsentare, elapso mortis periculo (& sub hoc onere absolvetur) ut satisfactionem præter, etiam ut in foro externo absolvetur; nam absolutio à censura à privato Sacerdote, quamvis fuerit directè data ob Trid. *cit.* solum tamen fuit data, & valet pro foro interno conf.

conscientiæ, ac prœinde foro externo Superioris præjudicare non potest, ut dictum est in *num. 3315.*

Quod si elapso periculo, Superiori, puta Papæ, aut Episcopo respectivè, non se præsentet, cum commodè potest, ipso jure in censuram reincident, ex *cap. Eos qui, de Sent. Excom. in 6. lib. 5. tit. 11. & ex Decr. Sac. Congreg. num. 3415.* relato.

3356. Quando verò quis absolvitur à reservatis virtute Bullæ Cruciatæ, Jubilæi, aut Privilegiorum Regularium, in casibus, pro quibus illa se extendunt, tunc, elapso periculo, non tenetur pro foro conscientie pro censura se præsentare; idque ratione Privilegii, quod supplet comparitionem; privilegii enim stat loco Superioris, & solum requirit satisfactionem partis, si sit pars læsa. *Vide num. 3367.*

3357. Periculum mortis est in femina primò paritura, aut quæ est experta partum difficilem; unde hæc potest ab inferiori absolvi, statim ac dolorum sentit initia. Item in bannitis, qui ubicumque impunè possunt occidi, & in iis, qui periculosum iter, aut periculosam navigationem de proximo sunt aggressuri; ii, quibus timetur de proximo amissio perpetuè usus rationis, aut loquelæ: Qui serviunt infectis peste: Qui incidunt in morbum, qui ut plurimum solet mortem afferre: Dammati ad triremes, si de proximo periculosam navigationem sint habituri. *Vide num. 3246. ad 3248.*

#### IN URGENTE NECESSITATE.

3358. **U**rgens necessitas est, cum quis nec est impeditus perpetuè, aut longo tempore, nec in articulo, seu probabili periculo mortis; est tamen in talibus circumstantiis, ut instet confessio, aut communio, & non habeat promptum Superiorem, sed Confessarium inferiorem. Talis est casus in puella, aut juvene simul cum parentibus Eucharistiam sumpturis, qui sine infamia, aut periculo notabilis damni, non possunt se retrahere. Et in similibus.

3359. In urgente igitur necessitate potest Confessarius inferior à casibus omnibus reservatis, etiam hæresis absolvere; indirectè tamen, ita ut penitens debeat cum reservatis non reservata adjungere, & tunc ab illis directè absolvitur, indirectè ab illis, adeoque tenetur postea se præsentare Superiori, aut habenti auctoritatem pro reservatis, non solum ad obediendum, verum etiam ut in foro conscientie absolvatur, tam à censuris, quam à casibus; ratio est, quia casus illi fuerunt solum indirectè absoluti; nam Confessarius inferior non habebat jurisdictionem super illis ut *num. 3121.* ad differentiam casus impedimenti, & articuli mortis, in quibus Episcopus, & respectivè Sacerdos in foro conscientie directè à reservatis absolvunt, quatenus Ecclesia tunc dat illis jurisdictionem ex iuribus adductis.

3360. Licet autem hæc sit communior sententia, quam sequor, Diana *part. 11. tract. 8. ref. 49.*

probabilem putat sententiam Dicastillo, nimirum in casu necessitatis posse Confessarium inferiorem directè penitentem à casu reservato absolvere, ita ut, cessante necessitate, non teneatur Superiorem adire pro peccato, ut ab eo in foro conscientie absolvatur, ut dictum est de articulo mortis; idque non quia Confessarius inferior possit tunc reservata absolvere, sed quia in tali necessitate, casus illi reservati non sunt: idque ex rationabiliter credita voluntate Superioris, quod nolit pro tali necessitate casus reservare; & ritè, quia ex jure *Trid. sess. 14. cap. 7.* reservatio faciendæ est in ædificationem, minimè in destructionem animarum; in destructionem autem esset, si in casu necessitatis, quo puellæ v. gr. instaret communio ob infamiam, aut notabile damnum, quod aliis timeret, & ad communionem ob casum reservatum non posset accedere.

3361. At à communi sententia recedere nolo, maxime ob *Decr. S. Congr. 7. Decemb. 1646.* infra adducendum *num. 3415.*

#### CONDITIONES TRES

3362. **R**equiruntur, ut quis absolvatur, non quidem pro peccatis, sed pro censuris reservatis, in casu impedimenti legitimi, & periculi mortis, nempe promissio de comparendo, modo dicto, de stando mandatis Ecclesiæ, & de satisfacienda parte, si quæ sit læsa. Cum verò quis absolvitur in urgente necessitate, requiritur promissio comparendi, etiam pro ipsis peccatis reservatis, ob dicta *num. 3359. Vide num. 3332.*

3363. Quæ onera Confessarius sub mortali tenetur injungere, antequam absolvat; quia est materia gravis per Sacros Canones requisita, ita ut sciens omittat monere, peccet mortaliter, licet validè absolvat, quia adhuc penitens ad illa tenetur.

3364. Pro censuris reservatis extra Bullam Cœnæ in foro Sacramenti, sufficit serâ promissio, juramentum verò solum existit pro foro externo. Idem dic de fideiussione. *Tamb. tom. 2. pag. 65. num. 16. & pag. 402. num. 3.*

3365. Pro censuris verò reservatis in Bulla Cœnæ, & pro delicto dantium causam interdicto, quando in periculo mortis conceditur illis Sacramentum Pœnitentiæ, requiritur juramentum. Diana *part. 5. tract. 9. ref. 23. vult*, non requiri sub mortali. Fideiussio verò solum requiritur pro foro externo.

3366. A pueris non est exigendum juramentum, ex *num. 3349.* quia non præsumuntur habere usum rationis ad dignitatem juramenti requisitum. Certè moriturò; aut habenti impedimentum perpetuum non est imponendum juramentum; quia esset frustraneum, & inutile.

3367. Per satisfactionem intelligitur restitutio pecuniæ, honoris, vel famæ; quæ parti læsæ debetur. Non venit tamen pœna pecuniaria, quæ fortè debetur fisco, Ecclesiæ, vel Notario, quia non sunt pars læsa.

Quia

3368. Quia autem non in omnibus casibus habetur læsio partis, non in omnibus est exigenda satisfactio; hinc in multis casibus, ut in casu hæresis, exigitur sola emendatio, & propterea solum requiritur promissio de comparando coram Superiore, & de stando mandatis Ecclesiæ.

3369. Quando impotentia ad satisfaciendum non solum est præsens, fed moraliter certò prævidetur semper futura, non est exigenda promissio de satisfaciendo; quia esset frustranea; bene verò, quando sit spes potentia.

3370. Impotentia satisfactionis contingere potest. 1. Ob impotentiam ipsius rei. 2. Ob dubium, quod virtutis de qualitate satisfactionis, quodque resolvi non potest. 3. Ob obstinationem partis læsæ, quæ non est contenta satisfactione rationabili sibi oblata, aut ob quid simile. Ita *Tamb. tom. 2. pag. 65. num. 15.*

3371. In percussione Religiosi pars læsa est ipse Religiosus. *Tamb. tom. 2. pag. 65. num. 14. Vericelli tract. 8. q. 20.* Leander, contra alios, qui volunt, quod sit Religio, seu Prælati; ratio est, quia ipse est percussus. Tum quia aliàs pars læsa etiam esset Ecclesia, & Pontifex excommunicans: hinc percussus satisfacere tenetur pro utroque foro ipsi Religioso.

#### DE POTESTATE REGULARIUM in reservata.

#### QUÆRES I:

3372. An Prælati Regulares possint absolvere suos subditos à casibus reservatis in Cœna Domini, etiam hæresis?

**C**ertum est, Prælatos Regulares posse suos subditos, & Novitios absolvere ab omnibus casibus, five ab homine, five à jure reservatis Papæ extra Bullam Cœnæ, ut constat ex sequentibus iuribus, & privilegiis. Hoc præmissio pro solutione quaesiti, duæ sunt sententiæ.

3373. Prima sententia negat etiam de occultis, maxime hæresis. *Bordonus tom. 2. ref. 3. quest. 2. Sigismundus, Vecchius, & alii apud ipsum. Diana part. 1. tract. 5. ref. 6. part. 3. tract. 2. ref. 122. part. 6. tract. 7. ref. 63. part. 8. tract. 7. ref. 50. ubi in part. 3. cit. quoad alios casus ab hæresi non vult esse Judex, sed quoad hæresim expressè negat.* Ratio est; quia Bulla Cœnæ revocat omnia privilegia, etiam titulo oneroso, & per viam remunerationis concessa, ut in *num. 3334.*

3374. Cui maxime pro hæresi addunt tria Decreta. Primum Sac. Cong. Episc. & Regul. 17. Nov. 1628. Jussu Urb. VIII. Secundum ejusdem S. Cong. 7. Decemb. 1646. Tertium est *Decr. S. Inquis. Rom. sub Innoc. X. 23. Maii 1652. confirmatum sub. Alex. VII. 1656. & publicatum Panormi per Edictum DD. Inquisitorum 15. Febr. 1657.*

3375. Secunda sententia affirmat, Prælatos

Regulares absolvere posse suos subditos ab omnibus casibus reservatis in Bulla Cœnæ Domini, & respectivè dispensandi, exceptis quinque: Videlicet, 1. Schisma, 2. Hæresis cum relapsu, 3. Falsificatio Litterarum Apostolicarum. 4. Delatio prohibitorum ad Infideles, & 5. Conspiratio in Romano Pontificem.

3376. Item excepta dispensatione super irregularitate orta, 1. Ex homicidio voluntario (supple tu) injusto, non casuali, sed ex proposito patrato, 2. Ex Bigamia (supple tu) vera, & interpretativa, minime similitudinaria; in hac enim dispensare possunt; quia est irregularitas ex delicto, & in ea etiam possunt Episcopi cum suis subditis dispensare, ex *cap. Sanè Sacerd. de Cleric. conjugatis, & cap. Qui Clerici, vel Poenitent. Vide infra de irregularitate, 3. Ex Mutilatione pariter voluntaria, & injusta, ex proposito patrata.*

3377. Hanc sententiam tumentur Suarez de Religione, *tom. 4. tract. 9. lib. 2. cap. 20.* Coriolanus de Casibus refer. *part. 1. sect. 1. art. 23. num. 6. Peyr. de Priv. Regul. in Const. Sixti IV. 6. 5. pag. 30. à num. 6. in Addit. ad Const. Sixti IV. num. 35. pag. 116.* Baudouin in Theol. Mor. de Censuris, *part. 2. dis. 3. tract. 2. q. 26.* Toranus à *pag. 22. ad 35.* Amendolia *tom. 2. in Addit. de anno 1698.* Ubi se retractat à sententia negativa, quam in priori editione tenebat. Hasbenis in *Summ. QQ. Regular. verb. Absolutio quoad fratres, uterque Rodriguez, Port. Villalobos, Bames, Souta apud Melpi in Comment. cap. 2. stat. 14.* Insuper statuta nostri Ordinis *cap. 7. 5. 4. num. 1.* Et unus pro mille doctissimus Donatus *tom. 1. part. 1. tract. 13. quest. 17. & tom. 2. tract. 11. q. 17. & 18.* Qui satis doctè, & solidè (ut solet) rem tractat; ac resolvit: Imò non solum illi docet, & resolvit de hæresi, sed etiam de relapsu in hæresim, ex Privilegio Greg. XIII. 18. Martii 1588. quo conceditur Generali Societatis suos subditos absolvere ab hæresi, & relapsu in hæresim.

3378. Ratio efficax est: Nemo est spoliandus jure certò per superveniens dubium; certum autem est, Prælatos Regulares habere jus absolvendi, & respectivè dispensandi suos subditos à reservatis, quæ in Bulla Cœnæ Domini continentur, etiam ab hæresi; revocatio verò est dubia, imò potius constat nullam adesse; adeoque non sunt præfatio jure spoliandi, fed possunt eos à præmissis casibus absolvere, & respectivè dispensare.

3379. Discursus firmius probari non potest, quam ex ipsis iuribus, à quibus pendet. Et quidem pro certitudine juris,

Primo, est Privilegium Maris Magni concessum à Sixto IV. Prædicatoribus Bulla 7. in *tom. 1. Bullarum, & Minoribus* de anno 1474. Bulla 6. in *tom. 1. & sustis in Bullario Rodr. pag. 153.* in quo Privilegio fundatur assertio; quo conceditur Generalibus, Provincialibus, Custodibus custodias, & Guardianis sub se habentibus, & Prælati localibus facultas

Rr

ab.